

Magici morbi historia attentius pensitata ... / [Christian Neuffer].

Contributors

Neuffer, Christian.
Camerarius, Elias, 1673-1734.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Typis Georgii Friderici Pflickii, [1724]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dtzzgqab>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

T. 981. 1

Q. D. B. V.

MAGICI MORBI HISTORIA ATTENTIUS PENSITATA.

Hanc

Statutis Amplissimæ Facultatis Medicæ
jubentibus,

P R A E S I D E

ELIA CAMERARIO,

Prof. Ord. Med. & Consil. Wirtemb.

PRO LICENTIA,

*Summisq; in Medicina Honoribus consequendis
examin; publico submittit*

CHRISTIANUS NEUFFERUS,

Dornhanensis.

D. April. M DCC XXIV.

T U B I N G Æ,

Typis GEORGII FRIDERICI PFLEICKII.

58700(1)



L. B. S.

Non deerant domestica Morborum Magicorum Exempla, quæ Dissertationi huic præbere poterant materiam abundantem, quæ & infrà attingemus obiter. Malumus tamen aliunde petitam adoptare Historiam, cum scribamus eo tempore, quo audacter omnia promiscuè quæ huc spectant phænomena vocantur in dubium, nunc cum ratione sufficiente respectu quorundam casuum, nunc sine ulla illius vel levissima umbra respectu aliorum. Selegimus ergò, trans tulimusque in Latinum sermonem ex pulcherrimo Trivultensi Diario Historiam extra dubium omne positam. Expendit ejus phænomena, horumque causas D. Lange, illustrarunt eam Illustres Eruditione Trivultini Patres; liceat & nobis crudiores meditationes nostras, vel, si appellare ita libeat, ineptias, laciniasve assuere nitido, splendentique panno. Si agnoscas hodiè existentiam morborum à fascino, risus non paucorum ex Eruditis, vel commiserationi saltem quorundam te expones, adeò hæc plerisque nauseam movent, cum persuasi sint, ista relinquenda esse credulo vulgo, qui fabulis pascatur. Haud diffitemur tamen nobis aliter videri, illamque nobis mentem innumeras observationes passim obvias, attenteque institutas confirmasse, propria diuturnæ præxeos experientia suffragante. Aggrediamur itaque pace tua L. B. difficile negotium.

Ea est seculi Moderni (a) incredulitas, ea incredulorum temeritas, ut omnia phænomena, quæ ob circumstantias paradoxas Spiritibus

(a) Dum seculum hoc præsens incredulitatis accusatur à plerisque suo quodam jure præcipuo, sæpe animum subit admiratio, cur illud non accusetur jure majori credulitatis

cibus malignis tribuuntur, exsibent, (b) rideantque; et autem magis necessarium est singulares istiusmodi eventus atque historias candidè recensere, publicoque communicare, ut cordatores, prudentioresque judicare ex relatis valeant de veritate originis quam adscribit referens phænomenis plerumque stupendis, maturaque consideratione dignissimis.

Factum id quoque est à D. Lange, Medico Regio Gallo, qui historiam descriptis pueræ fascinatæ (c) Cursonensis, ipse enim antequam in publicum orbis literati theatrum produceret mirabilem istam fascini historiam omnem adhibuit, quam edecumata prudentia suggerere poterat, curam ad evitandas fraudes adeò in istiusmodi occasionibus ordinarias ac solennes, natus

eis nimiæ, ac nimis inconsideratæ ac facilis, quâ ea omnia avidè arripit, quæ saltem opposita veteribus receptisque opinionibus, paradoxo, novoque comparent induta habitu, et si in recessu vel minimum habeant probabilitatis. Exempla possent allegari eam in rem innuinera, ex omni naturalis historiæ modernæ parte, ubi tot hypotheses sati jejunas, plurimis tamen impensè deamatas, offendimus; Quâm sibi placent plurimi reducunt noviter in scenam attractione, non intelligentes Ill. Neutonum, eam ut phænomenon saltem supponentem. Quâ sibi facilitate alii striatas circa Magnetem particulas, & cochleatas quasi imaginantur. Lege, si potes, absque risu, vel saltem absque admiratione Cartesianam corpusculi humani in fœtu formationem, rupturam salientis puncti, formatas sub ejaculatione liquidi arterias, atque sub ejus reflexione venas. Quanta somnia! annon æquè sic rota, vel currus, vel laterna fiat? Non aliter fungos Lancifiana dexteritas nasci contendit; (fiquidem isti semine careant!) Sic ii ipsi, qui malos Spiritus tam anxiè ex amplissimo mundi theatro eliminant, alia tamen spectra, atque extravagantis imaginationis phantasmata operosa commendatione in veritatum classem non admittunt tantum, sed & tanquam evidentia non sine pompa introducunt. Incredulitas atheorum innumeris hodiè demonstrationibus scriptisque est profligata, an verò his scriptis multiplicatis atheistorum numerus decrescat aliorum esto judicium, qui præjudicio carent omni. Increduli etiam illi merentur dici qui effectus Magicos pravorum Spirituum negant, tot exemplis stabilitos: et si non ideò statim pro atheistis cum non nullis habendi. Maxima verò in ipsa incredulitate temeritas est, cum mens nostra cœca & valde limitata audet seipsum constituere judicem rerum maximè arduarum occultarumque, ubi, si hæseris dubius, tutius fuerit confugere ad Ἰω ἐπέχειν, quam fastuose ultra modum sapere.

(b) Risus illi ex eo potissimum orti sunt, quod credulitate miserrima omnes olim fabulæ aniles fuerint pro oraculis à viris etiam eruditis susceptæ, harum verò illusiones cum detergent intenti his maximè moderni in alterum prolabuntur extremum, vera cum fabulis & rejicientes & ridentes, et si hæc methodus indigna sit iis qui veritatem sincere sectantur.

(c) Nec Bekkerus, vel asseclæ ejus tam utiliter suas in partes trahent hanc Cursonensem historiam, uti multa cum gloriacione Ursulinarum Lodunensium fraudes ad augendas monasterii pauperioris opes excogitatas, fictamque obsessionem Diabolicam enarrare solent; hæc enim solicite sub incudem vocata sunt omnia, & multa cum circumspectione tractata.

natas plerumque ex quadam (d) judicii debilitate , quod mirabilibus inconsideratè nimiam mox sine examine adhibet fidem , quanquam & incredulitas nimia eorum , qui res extraordinarias rarasque insuperabili quadam pertinacia negare sustinent (e) non minus culpanda sit.

Istæ verò historiæ , nonnisi ab iis qui contra rationis veræ dictamen (f) sunt pertinaces in dubium vocandæ , sunt mirabiles circumstantiæ : Magdalena Morina , ex Parochia Cursonensi diæceseos Lisiensis , nata annos 22. temperamenti laudabilis , simplex quæ vitæ genus & ordinata sine excessibus , cum vicina muliere litibus implicita (quæ plurium maleficiorum accusata , dum in lucem prodibat publicam historia (g) in carcere ob

A 3

illa

(d) Possunt errores à judicii debilitate in casibus tam intricatis & paradoxis enasci , si nimia mox facilitate fides iis sine examine adhibeatur rebus , quæ extra dubium positæ non sunt , sed longe hi errores absunt à fraudibus eorum qui mala intentione talia fingunt , uti circa Diabolum , quem vocant Lodunensem , factum esse prætendunt. Quotiescumque autem in morbis insolita occurrunt phænomena , multa cum circumspectione dijudicandum est , an res merè naturaliter contingat , an verò altiori principio nigratur. Non indiget equidem veritas suppositionibus , nec fictionibus nostris , sed nec indiget in tanta incredulorum turba nostris detractionibus ; minusque peccaret in dubio , qui sinistre accusaret Magiam , quam qui sine justo fundamento eam exhibeat , sive facile , & ne cogitans quidem , vim judicii divini in hominum animis eludit , vel saltem non leviter imminuit. Sincerè igitur hîc agendum , nec serviendum hypothesis cuiuscumque. Neque obstat , si in cadaveribus ea reperiantur , quæ in Apoplecticis , vel Spasmo , aut Catarrho suffocativo defunctis reperiantur , namque & Spiritus maligni , non nisi mediâtè , ista partium vitia inferendo necare possunt. Legimus ejus rei Exemplum notabile in Eph. Nat. Cur Cent. III. Ann. 5. ubi Exc. D. Vicarius recenset mortem quatuor Virorum robustorum in uno ampliori conclavi simul una nocte obeuntium , ubi quidem plurimæ circumstantiæ merentur attendi , et si non omnes videri ejusdem ponderis queant. Nec ausim aliter pronunciare de notissima Historia Jenensi , ubi & altioris ordinis causa attendenda videtur ; novi equidem vim halitus tetri corbonum , exemplique eam plurimis didici ; verum & hoc novi , eam minimè eò evalescere , ut omnibus inde memorabilis facti circumstantiis fieri satis queat. Sed non libet vastum illud Morborum occultorum pelagus ingredi !

(e) Hi scilicet cœcam suam , limitatamque admodum rationem judicem constituunt rerum oninum , absurdo & intolerabili fastu dijudicaturi , quid evenire queat , quid non ? cum tamen in tot minoris etiam momenti rebus possent , si vellent , deprehendere , quam curta sit ipsi supplex , & quam ineptè sæpe judicet , ubi vel prudentissimè sese gerere augeat.

(f) Cum tot allegentur testes , fide digni , attenti , rei in pluribus locis , imò in populi conspectu gestæ quæ circumstantias præcipuas , quales res in dubium vocantibus vix respondendum est.

(g) Ex incarceratione quidem nihil facile collegeris , cum sæpe ex suspicionibus non fundatis homines frustra suspecti conjiciantur in carcerem , hic verò gravissima concurrent argumenta .

illa Orbecensi unà cum marito suo inclusa erat) his ab illa minis (uti retulit virgo) petita est : Quot tibi verba dixero tot in corpus tuum transmittam (h) Diabolos, quibus verbis prolati mox correpta fuit virgo doloribus violentis, stomachique eversionibus ac spasmis ; atque ab illo tempore per menses viginti duos alio non potuit uti victu, quam fructibus crudis, & aquæ potu ; quo temporis intervallo sèpius ad incitas redacta est per stupenda Symptomata, ejiciendo ex ore in conspectu multorum hominum erucas, vivamque (i) lacertam.

D. du

(h) Hæc prima erunt multorum hac in recensione scandala, qua ratione nudæ minæ, ac verba mulieris tantum mox potuerint effectum sortiri, qui potuit illa verbis suis totidem in corpus puellæ dæmones immittere? quam stulta, dicent, præsumtio! Sed effectus mox infuscatus satis respondet, et si nos determinare modum nocendi nondum valeamus, noxa tamen fuit mox in propatulo; hinc enim enati mox spasmi, eversiones stomachi, pica singularis, nausea aliorum ciborum.

(i) D. Lignac in Diar. Trivult. ann. 1718. hanc talium erucarum originem ac genesin putat se ex naturalibus causis satis clarè deduxisse, sed non attendit satis ad alias historias, nec lacertæ eundem facile adscriperit ortum. Possemus plurimas allegare historias parallelas; sufficient tamen paucæ : Exc. D. Lentilius in Eph. Nat. Cur. referens unius decursu ex ore pueri insecta sequentia produisse : Millepedæ centum sexaginta & duæ, forsiculæ binæ, vermis albus capite nigro, vermes quatuor celerrimi vicini & ultra pedunculis prædicti, spinis horridi, Lacerta pinguis, duo vermes saltantes, duo rubri celerrimique vermes, una teredo, erucæ virides quadraginta duæ, scarabæus unus, viva omnia. Post illa tempora rursus per os miseri exclusæ sunt ranæ quatuor, unus scarabæus majalis, vermis butyraceus, duæ erucæ, dein bufones aliquot, postea lacerta una, insequentibus viginti aliis, vipera quæ & sono & volubili se passim in corpore motu manifestabat, gravissimè affligebat puerum, prodierunt rursus ex ore : Clavus ferreus, dimidiis catenæ grandioris annulus, confractarum duarum patinarum fægularum septem testulæ, quatuor lapides, bini alii majores, glomus capillorum, ovoidum testæ, duo cultri sine manubriis, quorum unus pilis obvolutus, læsis valde ab utroque cultro fauicibus; sequebantur testæ ollulæ medicamentariæ, duo majores clavi, tandem vipera admorso pueri pede, circa quam viperam, ejusque iterato ex corpore egressu, ingressuque mira recensentur, quodque aliquando dimidiato corpore ex ore prominens capite suo pueri genas diverberaverit vibratione sua, regressa tum, parente pueri clamante, in corpus, servanturque excreta ista omnia in Rarithecio Onolspacensi, totidem argumenta Morbi Magici naturæ Vires viasque ordinarias & consuetas supergredientis. Merentur his jungi insecta ab Illustri D. Bar. de Brunn relata, ac prodeuntia ex stomacho puellæ annorum 16. ab assumto agyrtæ balsamo nigro : quadraginta scilicet lumbri, quorum dein sine vomitu quingenti eadem secuti sunt via, quæ quidem res per sex dies integros eadem ratione ac frequentia duravit; Dein aliis generis vermes quinquaginta ex ore reddidit, medium digitum longos, & digitum crassos; postea evomuit sedecim cochleas vivas, sine testis tamen, duos scarabeos cornutos, qui eam usque ad sanguinis sputum vulnerarunt in fauicibus; dein prodiere vermes longi, crusta dariore obducti, decem erucæ pilosæ, papilio alis albicantibus, vivus, denique centum vivi millepedes &c.

D. du Bois, Chirurgus pagi Farvaceni eam invisens, suasit ad minuendos ingentes quos patiebatur capitis dolores, ut capillos capitis sibi curaret abscindi, atque applicari columbas capiti vivas, ista vero, quæ in quæstionem hic maximè venit vicina (k) mulier abscidit capillos virginis ægrotantis & afflictæ.

Cum fuisse ægræ persuasum, ut divinum, intercedente Beata Virgine, imploraret auxilium, mox iter ingressa est versus Sacellum B. Virgini de Liberatione dicatum propè Cadomum, ubi novem jussit recitare missas, sub consecratione quinque ultimarum missarum deliquio est correpta, vomuitque plures erucas vivas, usque ad viginti octo scilicet. Quarum ultima æquabat crassitie auricularem digitum, pleneque ut videbatur restituta est, asserente testimonio Canonicorum istius facelli. Vigesima secunda Junii die anni 1716. Virgo hæc sola prodiens in publicum summo mane, ut abiret in pagum Farvacensem, malè habita fuit ab eadem illa sua vicina, ictumque baculi, quo percussa est, recepit in capite, alium in scapula sinistra, aliunque in ventriculi regione, quibus ictibus acceptis in deliquium incidit prolapso in latus dextrum, quo in situ eam accurrens soror opem latura vociferanti invenit facie penitus sanguine conspurcata atque obducta.

Vocatus D. du Bois eam brevi post sollicitè inspiciendo invenit contusionem in scapula sinistra, aliamque in hepatis regione, decumbente ægra atque exæstuante febre intensa cum deliquiis frequentibus. Decimo Julii idem ob ingentes capitum de quibus anxiè conquerebatur dolores ad eam vocatus invenit in loco contuso apparentia quædam corpuscula heterogenea tactui renitentia, factisque incisionibus tribus extraxit inde (1) acum unam

(k) Mirum fœminam hanc adhuc fuisse admissam ad capillos abscindendos, corporisque contrectandum.

(1) Nec Medicis Germanis analoga desunt exempla; in Eph. N. C. Cum in Styria Dn. Kernius tertianario secare juberet venam, æger levi facta compressione vel potius tactu tantum in musculo brachii bicipite mox cœpit clamare, omnemque attacatum sibi intolerabilem esse asseruit, ex quo olim solus in cubiculo suo hærens totusque immersus Melancholicis ideis, derepente eodem in brachii loco ingentem senserit dolorem, eundemque ab eo inde tempore levissimo quovis attachu sentire, quo auditio Chirurgus manu attentius admota invenit latere in brachio acum, levique incisione facta eduxit acum majorem, quali in conficiendis tapetibus utuntur, totam rubigine obductam. Sed quid unam recensemus acum extractam, cum plurimas referat celebris Silesiæ Medicus Grasius in Eph. N. C. Dec. I. Habuerat ancilla amasium opificio aciculario operam dantem, cui repulsam passo indeque ad vindictam accenso, cum aliquando ex amictu suo petenti dedisset aciculam, triduo post dextri brachii dolores ingentes, tumorem,

unam & duas aciculas. Vigesimo secundo ejusdem mensis die octo , factis in sinistro brachio vehementer dolente incisionibus septem aciculas unamque acum eduxit. Decimo Septembri ex mamma sinistra extraxit aciculas sex ; ejusdemque mensis die 28. in costarum spuriarum regione tres alias. Novembris autem tertio die ex femore tibiaque sinistri pedis octo alias deprompsit.

Decimo Januarii anni 1717. D. Lange Filius , Medicinæ Doctor , à Chirurgo hæc sibi relata , novasque imminere aciculas audiens , eò profectus est , vidiisque ex sinistra mamma septem extrahere denuò. Cumque ex eo tempore novas se offerre aciculas incresceret rumor , Medici Lipsiaci ut facti penitus certi redderentur , omnemque evitarent solicite fallaciam , eam in urbem advehi curarunt , quò 28. Jan. delata in Nosodochium publicum recepta , commendata est curæ duarum (quas vocant in publicis istis ædibus) Sororum , qui ipsam vigili oculo noctes diesque exactissimè observarunt , ex oculis conspectuque eam numquam dimittentes , alternatim quavis nocte apud eam vigilantes , & postquam extracta fuisset prima adventus ejus vespera ex sinistra mamma acus præsentibus plusquam centum perso-

ac inflammationem ad cubitum usque passa est , admotoque emplastro , ac dehinc cataplasmate ex allio , vesica excitata , ex cuius dein formato dilatatoque foramine major produxit acicula , insequentibus dein adhuc duodecim aliis ; tandem incisione facta circa muculum brachii bicipitem inventus est fasciculus duodecim acicularum filo lineo colligatus , & due aciculae rubigine obductæ cruciatim carni infixæ , quibus remotis plaga coaliuit : Sequenti anno novos passa brachii dolores Chirurgo occasionem obtulit , rara enchiresi ex brachio mammisque excindendi successivè nonaginta & octo aciculas , cum uno acicule minoris nodulo seu capite , acibusque undecim sine prævia suppuratione. Omnes aciculae promptè poterant eximi , cuspidi prius per cutem adacta , nisi vel curvatura vel situs profundior incisionem exposceret ; sicque cuspidi præcedente celeriter cutem transeuntes ne minimum sui vestigium relinquabant præter maculam pulicu morsibus similem , paucō interjecto tempore in cuticula emergentem. Imo & tertia vice eodem affectu dicitur correpta ultra quadraginta sex aciculis denuò successivè extractis manus Chirurgi. Merito ad hanc quoque classem referenda mulier pro scorbutica primum à D. Jægerschmidio habita , mirisque agitata convolutionibus , imo ad desperationem adacta , per plenam doloris urinæ redditionem , adeò ut violentas sibi intentaret manus , quæ tandem inter cruciatus immanes excrevit cum urina quinque acus , quarum una globulum ex cera hispanica impositum gerebat , donec majori dolore tres pilorum nigricantium fasciculi ejicerentur via eadem , hos quatuor acuminata vitri fragmenta , sex spinthères , quinque clavi soleares , partim accuminati , partim jam detriti omnes cum urina sequebantur , recrudescente vero post dolore , totalis urinæ suppressio adegit adstantem mulierem , ut ex ipsa urethra massam obstruentem vi extraheret , linteolum scilicet fortissimè funiculo colligatum ; sacculo hoc lineo aperto inspectoque deprehensus iofuit paßlim perforatus à rebus scilicet antea excretis ; Nolumus verò plura hæc exempla cumulare.

personis attentissimis, alteroque manè aciculæ tres ex mamma dextra, una ex sinistro brachio, aliaque ex ejusdem lateris genu ejusve parte inferiori, in conspectu frequentissimæ panegyris, nec ulla jam alia compareret per totum corporis ambitum, consultum judicabatur auferre ipsi vestimenta omnia, aliisque eam induere, capillosque ejus pectine probè distinguere ac dividere; paucis, adhibitæ sunt cautelæ omnes possibles, ut de facto fierent certissimi, nulla die prætermissa, qua non accesserint ad eam Medici illius civitatis.

Trigesimo hujus mensis die incepit comparere acicula in sinistra mamma, novæque se manifestabant de die in diem, in variis corporis partibus, duæ scilicet in mamma dextra, duæ in sinistra, una in femore, in sinistra scapula una, una sub axillis, & in stomachi regione alia, omnes sexto Februarii extractæ, vesperi hora nona, præsentibus Medicis, pluribusque gravibus viris ac spectatoribus. Intra sextum decimumque ejusdem mensis diem comparuere quatuor, cumque hactenus res sufficienter atque accuratè observata crederetur, adessentque parentes eam suas ad ædes reducturi, exsectæ sunt adhuc duæ in gratiam quorundam spectati nominis viorum, una videlicet in sinistra scapula, una supra costas dextri lateris, nec libuit exsecare reliquas, ne nimia ægrotæ virium accerseretur debilitas.

A discessu ejus Lisiaco usque ad 29. Apr. testante D. du Bois (m) vomuit aciculas sexaginta duas & unam acum, omnes ferè incurvatas, cum febre & sanguinis vomitu, exsectæque pariter sunt decem, tres ex genis, una inter scapulas, in brachio costisque reliquæ. Dum in urbe degeret, Medici eam visitantes quotidiè sequentia observarunt.

i. Aciculæ extractæ globulo suo seu capite (n) omnes carent, aliæ ferreæ, aliæ orichalceæ, diversæ magnitudinis, dissectæ omnes, quantum licuit ex aspectu judicare, ope (o) forfici, ferreæ tum acus tum aciculæ (p) quo-

B

dam-

(m) Hi vomitus terribiles incurvatarum acuum & acicularum, qui intensam febrem, vomitumque sanguinis excitarunt, de principio altiore satis testantur, cum maxime incurvatæ essent pleræque aciculæ, sicque ægrius rejiciendæ lacerarent sub spasmodicis ventriculi stricturis ac torturis vasa ejus sanguinea, ut extravasatus hinc sanguis vomitu ejiceretur.

(n) Scilicet cum globulo in ista loca haud facile poterant deferri, notabile tamen est in historia modo in antecedente nota allegata, unum quoque aciculæ caput, sed illud minusculum fuisse exsectum, cuius introductio eo fuit abstrusior quæ modum.

(o) Non igitur in corpore genitæ, vel quasi combinatæ ex minimis moleculis, de quo infra.

(p) Mador in loco subcutaneo perpetuus politam alias superficiem obfuscaverat, ut sic magis nigricarent, orichalceæ vero acus suum inde nitorem haud deperdebant.

dammodo nigricabant , acus in principio suæ crenæ fuerant resectæ , ori-chalceæ aciculæ verum suum servabant colorem.

2. Antequam apparebant aciculæ , ægra (q) deliquiis correpta est , caloreque febrili , sæpe vomuit sanguinem , postea in locis ubi dolorem percipit , tangitur in intimo carnium parva quædam durities , quæ de die in diem fit manifestior , offertque tactui figuram aciculæ , quò propius appropinquat ad carnis superficiem , adeò ut (r) tertia die sub digito tangente jam percipientur in vario situ obliquo , cuspide tamen semper cuti maximè vicina.

3. Ex pluribus quam quinquaginta duabus aciculis exsectis ne dux quidem (s) eandem prorsus tenuere viam per carnes , ut eadem licuisset eas extrahere incisione , idque in hoc phænomeno admiratione cumprimis judicabatur dignum , quod ex ingenti acuum & acicularum musculos qua-quaversum penetrantium transeuntiumque ac perforantium numero (imò & earum , quæ glandulas mammarum transfixerant) nulla (t) earum fuerit reperta,

(q) Mirum deliquia & febriles æstus præcedere acuum istarum sub cute præsentiam ; annon inde colligendum erit , sub ipso illo tempore introduci ab extra aciculas illas , ita tamen affientes nervos , ut spasmodica inde deliquia æstusque tales sequantur , sub quibus deliquiis eò facilius sine sensu intrudi acuminata hæc corpora in carnes queant ; aciculæ enim tanguntur in loco , uti mox subjungitur , ubi dolor percipitur , & profundius quidem intra carnes , ubi dolor sentitur , tangitur & objectum duriuscum , primo confusius ac minutum , dein semper distinctius , majusque , quò propius assurgit ad cutem , & versus superficiem tendit , per quam debet educi enchiresi Chirurgica pleniū hic descripta.

(r) Profundius igitur latuisse eas oportet , & consequenter adactas quoque fuisse antea profundius , eoque magis mirandum , quod tam lento ad superficiem accesserint motu , ut tertio demum die admoto digito tangerentur tanquam aciculæ , & quidem in situ non recto sed multum diverso , obliquo tamen semper , ita tamen , ut cuspis semper fuerit vicinior cutis superficie ; quæ quidem acicularum conversio varia , & tamen certo modo uniformis probè est attendenda , si enim adactæ illæ fuerint in carnes ab extra , dubio procul in ingressu præcessit cuspis , & jam in reditu & egressu iterum antecedit cuspis , qui ergò facta est conversio acus ?

(s) Omnium quidem acicularum cuspides præcedebant in motu illo versus cutem lento , sed eundem locum in tanto numero nunquam dux attigerunt acus , ut eodem prodirent vulnusculo , tanto studio regebantur ab intelligentia sua adjuncta . Multipli-candæ ergo erant incisiones pro numero acicularum.

(t) Mirum sane ac stupendum planè , nullam inter tot acutas satis aciculas vel unicum rupisse vasculum , ullamque effecisse sanguinis effusionem in fibrarum interstitia ; novo indicio , quanto cum artificio deducerentur in ipsam cutis superficiem , inde postea excindendæ . Novimus dari homines qui aciculis genas suas promtè satis usque in oris cavitatem perforare audeant , vix tamen id effecerint sine ullius vasculi læsione ,

perta , quæ vel minimum ruperit vasculum , ullamve effecerit sanguinis effusionem in vicina partium interstitia , adeò , ut si incisionem parvulam excipias , partes post operationem æquè sanæ integræque comparuerunt ac ante eam , ac si nullum corpus extraneum per eas transiisset , easve cum cuto perforasset.

4. Quinto Februarii die decima hora vespertina (u) convulsionibus tentata fuit , cum ingentibus vomendi conatibus , nec tamquam nisi exiguum sanguinis portionem ejecit , quo facto de enormibus circa ventriculum doloribus conquesta est , ubi exigua durities observata est , dieique insequentis vespera aciculam eduxerunt ex regione illa , cuius cuspis sursum spectabat.

5. Ad aciculas extrahendas commodius expectabatur , donec illæ satis ad cutem appropinquassent , ut tangi manifestè posset utraque (x) extremitas , tum digito eas premens Chirurgus scalpello facit incisionem duarum saltæ linearum profunditate super extremitate acus cutis superficie maximè

B. 2

vicina,

hi spiritus majori acumine , agilitate & æxerberia concreditas sibi aciculas direxerunt , quām isti circulatores ; cum tamen & Bekkerus Magos pro circulatoribus habeat ac vi-sus saltem deceptoribus , inepta satis analogia , uti ex opere ejus videre est . P. Franciscus Tertius de Lanis in primo Magisterii Naturæ & Artis tomo docet modum perforandi brachia & carnes mediantibus aciculis sine dolore & periculo , si quis rem tentaverit non eam , quam Pater supponit facilitatem , deprehendet , nec forsan securitatem , quām facile enim occurreret acui nervus aut tendo , & quanta observant medici à punctura tendinis vel nervi discrimina , imò mortem ipsam ? nec ista perforatio sine ulla sanguinis in interioribus effusione fieri facilè poterit , uti hæ aciculæ fuerunt tanta circumspectione deductæ per carnes , ut nulla sanguinis fieret effusio .

(u) Cum nervis non usquequa eadē actum fuisse circumspectione ac cum vasculis sanguineis carnium (nam ventriculi vasa , uti supra jam vidimus , satis ab aciculis fuisse male habita ac lacerata ad vomitum usque cruentum) testari videntur hæ convulsiones , indicantes omnino , nervum aliquem graviter fuisse ab acicula irritatum , punctumque , cumque & tantos vomendi conatus secuta fuerit evomitio aliqua sanguinis , suspicandum ferè est , ex ventriculo ad exteriora cutis extrusam tum fuisse aciculam , quæ mox duritie ea in regione comparente tactui se offerebat , die scilicet insequente , post enormes ventriculi dolores , qui non poterant non esse ingentes sub laceratione vasculorum & punctura fibrarum nerveo-musculosarum ; et si enim & hic sursum spectaret cuspis , tamen non constat , an ea præcisè eundem in toto itinere situm tenuerit .

(x) Sic enim incisio è minor & tantilla saltæ requirebatur , si utraque acus posset tangi extremitas , licet enim cuspis præcederet , nec appropinquans acus esset superficie cutis parallela omnino , tamen acus ita inclinata & ad cutem obliquè fita poterat commodius premendo tantillum sequi incisionem & cutis aperturam .

vicina , quo facto urgens parum premensque aciculam in parte (y) obtusiore , apex acutior mox per incisum prodit foraminulum , arreptaque acicula forcipe minuta protrahitur , imposta vulnusculo olei olivarum guttula , percurato pleneque clauso hac methodo intra horarum quatuor vel quinque decursum sine ulla superveniente suppuratione , hac quidem methodo extractæ sunt acus omnes aciculæque unam si excipias , quæ hæsit ultra menses duos (z) in genu quæque educi ob situm profundiores justò comodè tutòque haud potuit ; Huicque observationum relationi fidem fecere testes (a) exceptione majores , Doctores Medici quinque , Chirurgi quatuor , Pharmacopolæ duo .

Nec substituit in sola nudaque facti narratione D. Lange , sed morbi quoque tam stupendi causas ex physicæ modernæ principiis , quæ tamen Malebranchianis tincta nimium hypothesis videri aliis queant , solicite peruestigat . Id verò ante omnia agnoscit principium ratiocinii sui ac fundamentum : Solum Deum posse (b) invertere quasi naturæ leges , à se primitus stabilitas , idque ab ipso fieri in miraculis , neque tamen esse existimandum ,

quæ-

(y) Pars obtusior scilicet à cute erat remotior , ea igitur pressa acutior protrudebatur ad vulnusculi aperturam minutissimam eodem in loco approximantis acūs cuspidis factam , unde mirum haud fuerit paucas intra horas tantillum vulnusculum admota olei lenientis guttula fuisse occlusum & obliteratum , cum vix aliquid ultra cuticulam , vel primum proximumque ei cutis stratum fuerit tantillo spatio lœsum .

(z) Hic tutum non erat eadēm progredi methodo , cum situs in genu profundior indicaret necessario admodum lœdendas esse investientes hæc loca partes admodum nervosas , siquidem ad superficiem usque evehenda esset acicula , adeò & hic providè omnia fiebant , ab interno illo principio , vel potius externo aciculas promovente ad partum suum cæsareum , seu excisorium .

(a) Bekkeri effugium perpetuum est in explodendis omnibus historiis morborum & effectuum Magicorum , excipere contra testes , ac causari , defuisse attentionem necessariam ad rem tam gravem , delulos fuisse adstantes , aciculas non cum urina prodidisse , sed injectas fuisse ab ipsa ægra fraudulentia in matulam , & quæ plurima alia fuere ejus subterfugia ? hic verò quid diceret ? obloquine auderet tot testibus , immo nubi testimoniis , qui adstitere exsectioni & extractioni harum aciculatum ; omnia hic tam benè cohærent , ac firmata sunt autopsy & perpetua observatione ægrotæ suis etiam vestibus ordinariis exutæ , & in ipsis capillis perquisitæ , ne ullæ possent subesse fraudis suspiciones .

(b) Nemo id ipsi vocaverit in dubium , solum Deum posse invertere leges naturæ , id est , eum solum posse aliter volendo , alias quam consuetos in natura eventus & effectus procurare ; vis omnis creata eò non pertingit , cum sit limitata , & à Deo penitus pendeat , certo saltē ab ipso gradu concessa . Neque tamen forsan ostensu facile fuerit , in quovis miraculo inverti naturæ leges , erit enim tamen miraculum , et si leges illæ non evertantur , sed modo saltē tam occulto & inconsueto inter se combinentur & conjugantur , ut nos ea non capiamus , nisi hæc prodigia voces , quod facile largiemur .

quævis (c) prodigia mox esse miracula ; posse enim phænomena maximè singularia ac rara proficiisci à causis simplicissimis , eaque eo solum nomine nos in admirationem rapere , quod istæ eorum causæ nobis haud perspetuæ sint cognitæque. Neque (d) proin impossibile judicat Vir doctissimus

B 3

genu-

(c) Omnino prodigia & miracula in se diversa sunt hoc respectu , nostri autem respectu idem ferè fuerit , si utrinque videamus res ultra consuetum naturæ ordinem & vires contingere , & nullum videamus causarum nexum , imò assueti simus contrario ; et si adhuc difficile fuerit , nec hactenus satis determinatum , quid ad prodigia , quid ad miracula sit referendum ; multa in his adhuc desiderantur evolvenda.

(d) Nescio an rectè concludat Vir doctiss. & aliquo cum fundamento speret se detectum occultas hujus morbi causas , ac modos quo phænomena tam stupenda , & prorsus insolita contigerint. Blandimur nobis haud raro , imò torquemus intellectum nostrum , nosque ipsos decipimus , ut credamus tandem , ac persuadeamus nobis ipsis firmiter , nos detexisse rationes phænomenorum , quæ tamen difficultatem includunt insuperabilem in explicatione sua. Quis v. g. rationes reddet eorum , quæ recensuimus in Dissert. Taurin. Epistolica prima Exemplorum ? quis Historiæ nuper nobis communicatae à Nobilissimo Nürtingensis Oppidi Physico , D. D. Weismanno , Virgo ann. 34. à causa sibi suspecta patitur ante multos annos dextri lateris paralyſin , accedunt post-hac convulsiones atque Epileptici motus horrendi per vices pluries repetitas , accessit quadriennio abhinc aphonia etiam per vices , aliquando per aliquot affligens menses , Feriæ thermæ iterum tulerunt suppetias. Febri dehinc Epidemia laboravit , junctis convulsionibus atrocibus. Biennio abhinc à spectro se premi firmiter persuasa fuit conspicuo , non semel , sed omni nocte in ædibus fratris ; relictis in ejus femore stigmatibus digitorum qs. impressorum , durantibus per trimestre. Intumuit pes sinister , accedit ingens dolor , & urinæ difficultas. Postea genu occupat prægrandis inflammatorius tumor , livido-fuscus , striatus , nodosus , imo monstrosus planè cum atrocissimis doloribus , Chirurgus expertus differt apertioñem tumoris jam maturi in diem sequentem , at nocte illa misella inter cruciatus intolerabiles egerit per vices cum urina cruenta , turbida , frusta vitri viridiſculi plurima , trapezoyoide , rotundiſcula , ac triangulari varia figura conspicua , clavos incurvatos , fibulas seu uncos , aciculas incurvatas. Chirurgus manè tumorem vidit qs. evanuisse , reliquiis sensim dissipatis ; genu restituitur penitus ; quæ autem per urethram tanto cum dolore ejecerat postea per vomitum egerit , cum paucō sanguine , & juncta aphonia multarum dicrum ; post novas convulsiones nova per urinam excreta , quorum magnam servat copiam Medicus. Rectius à remediis se habuit , at redeunte ea ad pagum suum , rediit febris , & vomitus vitrorum , clavorum , acuum junctis atrocissimis convolutionibus ; datis nervinis , sic dictis anti-Magicis auctum semper malum , ut adeo Medicus id vel retardare , vel accelerare pro lubitu remediis potuerit , Tragædiæ testis ipse oculatus , ac tristium vicissitudinum pro lubitu variandarum. Abstinuit à sic dictis specificis Medicus , nihil amplius egeritur , omnia pacata , donec aliquo post tempore vermis teres , craſtiſculus , tres ulnæ quadrantes longus , in extremitate sua acum transversim infixam habens inter motus horridos , & sanguinis rejectiones floridi è fauibus protrusus scenam tristissimam clausit. Compendium dedimus , plenam Vir Nob. recensionem forsitan aliquando dederit. Quis nodos hos solvet ? Quis cedipus par erit intricatae rei. Sed nec opus est Medicis tam exacta ætiologia ; Metaphysi-

cis,

genuinas detegere causas morbi mirabilis qui conspectus fuerit in ista Magdalena Morina. Duplex verò (e) Mechanismi admittit genus ; aitque Mechanismum naturalem aliud non esse quam mutuam corporum in se invicem actionem , secundum leges scilicet communicationis motuum. Artificialem autem Mechanismum consistere in actione entium intelligentium in corpora , quibus uniuntur organica , atque in vi , quam habent (f) movendi per hanc suam actionem (g) particulas materiæ , quæ ipsi ambiunt. Undenam perspectum nobis certumque est , (ita querit D. Lange) solas (h) animas nostras inter entia intelligentia eo gaudere privilegio , quod potesta-

cis , Physicisque hanc curam , *axe! Beatae* relinquunt lubentes. Sufficit si suarum quod est partium agant , negligentes quasi malignorum Spirituum lusus infaustos , ac *μεθοδείας* haud facilè intellectui magis limitato explicandas ; Insistantque remediis nervinis , robur naturæ , tonumque partium sustentantibus. Sic enim debellabunt simul quoque has technas. Non semel vidimus faustum hunc remediorum ordinariorū , inter preces junctas , successum ; Nec proin indigemus operosa illa conjecturarum audacium , ac sæpe incohærentium farragine. Pravi Spiritus noxam non , nisi organicam structuram , & cras in fluidorum depravando , inferunt , his igitur eundo obviam , eorumque aberrationes corrigendo collitur malum , et si technas subtilissimas causæ latentis , atque agendi , nocendique modos specialius enarrare haud liceat. Ne quid videamur ignorare , sæpe audacter conjecturas cumulamus ; ac manent tamen conjecturæ ; arena fine calce.

(e) Singularis sanè duplicitis mechanismi descriptio ; cum maximè vocet mechanismum artificialem entium intelligentium in corpora , quibus junguntur , organica actionem.

(f) Et hæc vis probanda erat Domino Lange contra Cartesianos , ac Modernos plurimos , sive Malebranchii vestigia secuti causas occasioales substituant , sive cum Leibnitio confugiant ad subtilissimam Harmoniæ præstabilitæ doctrinam quidem D. Lange.

(g) Debebat probare Dominus Lange Spiritum posse agere in particulas materiæ , non obstante ingenti disproportione quam Cartesiani allegant inter rem cogitantem , & rem extensam ; imo ne id quidem ferent æquo animo , quod dicat entia intelligentia , ambire particulas materiæ , cum enim in loco non sint , nec extensa , non ambire corpora nec proin in illa habere jus dicent.

(h) Eadem ratione querunt Moderni Philosophi , negantes animæ in corpus suum actionem , unde nam de illa simus certi ? imo hoc multa cum confidentia negant. Neque admittunt alii hanc consequentiam : animæ nostræ agunt in corpora nostra , ergò & alii Spiritus agunt in corpora alia ; nam non sine specie regerent , jussu divino corpus humanum unitum esse animiæ , alios Spiritus aliis corporibus eodem jussu nutuque omnipotenti unitos non esse ; imo potius retorquebunt alii adhuc argumentum istud , illaturi : Si anima nostra saltem occasionalis causa est motionum corporis sui , aut si illi motus non fiunt nisi ad statas harmoniæ præstabilitæ leges , neque aliis Spiritibus ulla specie tribueretur vis corpora movendi , quæ cogitando moveri haud queant , sed contactu impetuque impresso , quod expectandum à spiritu non extenso non sit. Si recurras ad sum-

potestate polleant corpora movendi , cum fides nos doceat , seu revelatio , Spiritus dari tum bonos , tum malos atque infelices , illos felices Deoque unitos , qui efficaciam ipsis potestatemque in corpora dederit exercendam , qua abuti haud possiat ; hos verò nos tentare , non quidem agendo in animam nostram , quæ ab ipsis minimè pendeat , illisve subsit , sed agendo potius vel in (i) organa corporis nostri , aut potius in corpora ipsum (k) ambientia . Cumque non possent non enormiter abuti potentia , si quam habent illimitata , credere mavult D. Lange eos potestate præditos esse valde (l) limitata , & hactenus quidem (m) nihil videtur supposuisse quod non alii quoque inter philosophos statuerint .

Videamus nunc alia minus hactenus cognita admissaque principia , quibus superstruit novi sui systematis speciosa fundamenta . Nunquam non ,
si ipsi

mum Creatoris exemplum , motus omnis Authorem & Consummatorem , infinitam opponent inter Creatorem & Creaturas diversitatem in agendo , quippe cuius simplicissima volitio fit efficacissima operatio . Cæterum Domini Lange argumentum sic ab aliis intorqueretur in Cartesianos . Si teste revelatione & boni & mali Angeli ac Spiritus in corpora agunt , idque & irrefragabilibus historia tum Civilis , tum Medica probat exemplis , quæ tandem pertinacia erit negare , animam à Deo unitam corpori peculiari posse in illud corpus agere , illudque regere . Revelationem haud facile rejicere velle videntur , redacti tamen sunt , qui Bekero adhærent , ad miserrimas detorsiones dictorum clarissimorum , quarum deberet pudere viros cætera mente sana præditos . Et hactenus quidem rectè urget D. Lange revelationis claritatem contra incredulos . Quid verò illis regeret Modernis , qui Spirituum mediatam in corpora actionem , ac proin Magicos effectus possunt concedere , statuentes quippe omnem Spiritum finitum corpore aliquo gaudere . Tam multiplicem sanè harmoniam ipse tum ignoravit .

(i) Hujus exempla clarissima præbent obsecsti à Dæmone , tum in Sacra allegati Scriptura , tum à Viris fide dignis descripti , horum negare existentiam & veritatem , impudentiae est homini non competentis , cui sanum sit sinciput ; tollunt enim fidem historicam omnem & Scepticismo nimis apertè favent tales , nec disputandum est porro contra negantes principia ; principia vero sunt potissimum revelatio , & historica fides .

(k) Modo quidem utroque id fieri tot loquuntur , imò clamant historici ; fabulis haud favemus , nec inficiamur earum hoc in campo abundantiam & frequentiam ; nolimus tamen prolabi in extremum alterum , exibilando fictitia , incerta , fabulosa , negare unà firmiter stabilita , circumspectè observata , & quà veritatem universalem universal gentium omnis temporis consensu firmata .

(l) Cum limitationis innumeri possent esse gradus , nostrum non est limites istos assignare juxta miseram cæcæ rationis nostræ decempedam ;

(m) Dicitur aliâs , nihil esse tam absurdum , quod non aliquem , qui defendere id ausus fuerit , inter Philosophos repererit ; nec deerunt proin qui & reliqua Domini Lange cogitata sua fecerint ; et si modernorum plurimi quâ hactenus deducta dissentiant , utpote ferre non volentes actionem Spirituum in corpora .

si ipsi credimus , eadem (n) motus quantitas inde à prima creatione constanter perstigit atque mansit in hoc universo sine augmento vel diminutione , nullus (o) Spiritus potest movere aut principium motus communicare corpori quod quiescit ; Dæmones non agere in corpus nostrum nisi mediantibus (p) aliis corporibus organicis , quibus sese uniunt ac conjungunt per unionem quandam , quam vocat (q) instrumentalem ; Aerem Spiritibus Dæmonibusque plenum (r) supponit , Patres Ecclesiæ , Interpretes Scripturæ Theologosque in hoc prædecessores habet docetque evidenter ex Scripturis Diabolos non ita in inferno constringi , ut non egredi ex carcere illo ac nocere hominibus valeant. Huic verò veritati D. Lange jungit conjecturam ad minimum valde adhuc dubiam , quod scilicet hi dæmones uniti sint (s) corporibus organicis , sed minutissimis , quæ summa facilitate sese

(n) Hæc hypothesis adeò non est nova , ut dudum inter præcipias Cartesii reputatur , satisque proin hactenus cognita fuit ; annon vero sibi contradicit D. Lange , qui supra animæ vim in corpus suum agendi reliquerat , nec sufficit eum motus saltem determinationem ipsi tribuere stilo Cartesiano , namque & hoc alii Moderni ipsi haud concedent ; dudumque negata est hæc eadem motus quantitas in universo supposita , substituta virium motricium identitate ; nobis vero ista curæ , cordique non sunt.

(o) Hic jam putat D. Lange se statuere nullum Spiritum posse agere in corpora , hoc est principium motus ipsis communicare , & tamen , si aliter determinent eorum motus , revera agunt in ea ; ergò revera movent ; quicquid enim agit in materiam id ei aliquem motum imprimit , ergò in eam agit etiam dum determinat motum , motus directionem aliam communicando , qui potest motum mutare , determinatè potest moveare , nec determinat nisi movendo , nec alia distincta harum rerum datur idea , nihil ergò lucratur D. Lange effugio hoc non satis idoneo , & pariter ab aliis dudum proscripto , qui eandem quoque directionem servari contendunt.

(p) Si dæmones possunt agere in alia corpora organica , agent etiam in humana , nec enim alia est horum materia quam reliquorum ; si unire se queant aliis , cur non & humanis ; cum tamen hujus unionis in obsecris exempla exhibeat revelatio frequentiora , quam unionis cum corporibus aliis , quæ pariter non erit sita in arbitrio dæmonum , cum ipse D. Lange statuat eorum vim esse valde limitatam , ergò non possunt se pro luctu unire .

(q) Si unio est instrumentalis , tale corpus organicum erit hujus spiritus instrumentum , ergò ille aget in id tanquam movens principium.

(r) Non aer solum sed & totum hoc universum repletum est , vel si aptius loqui liceat , ubique habet in se Spiritus & malos & bonos , hos ad custodiam hominum , illos ad temptationem . Nec jam queritur quid dixerint patres ; Scripturæ satis evidenter rem decidente ; rectè igitur contra Bekkerum ejusque asseclas afferit cum Scriptura , dæmones posse hominibus nocere , & proh ! dolor nimis sæpe nocent .

(s) Hæc ergo arbitraria , ac mera suppositio est , quæ miserrima videbitur Cartesianis , qui non magis capient actionem Spiritus in minimam machinulam , quam in Machinam vastissimam ; utraque est corpus ; ad utramque Spiritus proportionem & actionem

fese queant (t) insinuare in omnes corporis nostri partes. Ut verò Lecto-
ris animum præparet ad stupendas illas operationes admittendas, conce-
dendasque, quas parvulis his (u) insectis à dæmone obseßis adscribere ipsi
lubuit, ea speciose (x) proponit mirabilia, quæ circa animalcula minutissi-
ma passim observantur.

Quanta in animo, (ita enim scopo suo convenienter ratiocinatur)
assurgit admiratio, cum attentius contemplamur actiones istarum parvula-
rum machinarum viventium, si cum (y) bove apem comparemus, qui ne
quidem instinctu sat evidenti gaudet explicandi, componendique oblatum
sibi stramen, ut commodius in illo recubet, dum parvula hæc animalcula
sine circino atque instrumentis exigua sibi struunt ædiculas secundum ex-
actissimas Geometriæ atque Architecturæ solidioris regulas? Quoties non
sine admiratione conspeximus attoniti laboratoria chymica, quæ insecta hæc
minuta suis in visceribus gestant, ubi tam pretiosa formantur roris extracta
florumque, quæ (z) nec Artistæ experientissimi unquam imitari aut assequi
C valeant.

nem habet nullam, sive moventem, sive determinantem, si interroget D. L. non Cartesium modo, sed & Malebranchium, & Leibnitium, & quicquid est ingeniorum prin-
cipiis mathematicis cumprimis hic inhærentium.

(t) Eset prius probandum dari talia organica corpora in aere, quæ nullo negotio
se insinuent in omnes corporis nostri partes, hoc est, quæ fint exiliora particulis aeris,
nam nec hæc fese pro lubitu per omnes corporis partes ab extrinseco possunt insinuare,
neque enim transire per cutem hæc tenus probatum est.

(u) Insecta à dæmone obseſſa incredulis æquè apparebunt ridicula, ac alia dæmo-
nibus adscripta, unde rationibus, quæ ea fulciant, omnino indigent speciosis ac solidis.

(x) Hæc verò nullam cum obſeſſione dæmoniaca hic ficta habent connexionem;
agunt minutissima quæque animalcula, quod jussit agere concessa structura congrua Crea-
tor Optimus, neque ad id indigent dæmone, nec alia per ea aget dæmon, nisi speciali Dei
mandato ac permisſu.

(y) Bovem cum ape comparat, quid verò hoc ad insecta possessa? Scilicet insecta
sunt valde ingeniosa; sed nec bovi deest quidquam solertiæ naturalis ac necessariæ; ha-
bet apis quod suæ convenit naturæ, bos pariter habet quod suæ; nec stupidiorē ape
bovem credas; quidni sciat ille sua sibi sternere grama, si sternenda essent, quæ
mole sua mox complanat; sed ait D. Lange, apes sibi ædiculas struunt juxta exactissi-
mas Geometriæ & Architecturæ solidioris regulas; an verò juxta regulas agit inse-
ctum, ratione destitutum, cum totum artificium resultare necessitate quadam ex
ipsa pedum structura ac corporis statura dudum Er. Bartholinus docuerit. Sint ergo
exacti apum alveoli, & exquisita hexagona, ut vel P. Kochansky ad communem
omnium regionum mensuram, cum pasierum plumis videantur sufficere, non tamen ex
apum ingenio pendent. Et Geometria, & Architectura, & apum opificium à Creatoris est
sapientia, ejusque quidam radius undique elucens.

(z) Nec tamen hæc, quæ in ventribus apum mel colligere supponuntur Chymica
Labora-

valeant. Et quam (a) magnifica sibi meti ipsi struunt mausolia bombyces, atque insecta quoque alia, in quibus abscondunt se sepeluntque viva, ut moriantur ibi, ac resuscitentur postea nova aliaque pulchritudine vestiti, ac decore novo induti? Ista tamen omnia (b) mechanicè ac machinaliter (sit venia verbo) fiunt, nec aliud insectis illis principium istas producens actiones atque intelligens suppetit, nisi ipsum illud supremum, quod ipsa potentissimè formavit, ac sapientissimè, quodque per solam figuram, situm ac varietatem parvulorum, quæ ipsis competit organorum (c) spiritibus animalibus perfusorum, spectaculum nobis exhibit admiratione dignum, obiectumque (d) observationum maximè seriarum D. Redii, Swamerdamii, & Lewenhœkii, aliorumque celebrium Physicorum.

Sed cum microscopii ope alia adhuc minora deteguntur (e) consciunturque animalcula nudis oculis omnino invisia, quæque ne hoc quidem instrumento mediante consciuntur, nisi sub specie atomorum vivarum summèque exilium, cumque secundum proportionem, quam concipi-
mus

Laboratoria quidquam faciunt in reni D. Lange probandam, quid enim hæc ad dæmones? nec adeo indubia sunt illa in ventre apum Laboratoria, si apes dulcia florum stamina, globulosque eorum resinosos, non tam edant aut intra se coquant, quam congesta in alveolis compingant, colligant, inque mella ac ceram absque Chymico artificio connectant.

(a) Et quid mausolea ista, quid pulchra volunt monumenta? an tanta res est in serico textō mori? annon & alia insecta suis ex ovulis reviviscunt? annon & bos sese multiplicat? quid h̄ic api peculiare? quid dæmoni possidenti fayet?

(b) Undenam novit D. Lange hæc omnia fieri mechanicè, sine omni agente vitali, ac percipiente? an mechanismus solus sufficit ad vitam dāndam sine anima? cur ergò animal moritur recedente anima? hæc omnia solo partium situ in ape cæterisque fieri ac figura sola gratis asseritur, non probatur; non habent principium intelligens, at tamē vivens.

(c) Qui bovi non solum, sed & homini denegant Spiritus animales moderni, ac substituunt animam actionum immediatum principium, neque apibus hos Spiritus relinquent. Alii autem, qui eos concedunt, animæ autem actionem in organa negant, Mechanismo huic facilius præbebunt assensum, nec tamen soli, sed & monadis dominantis variantibus qs. cancellis ac determinationibus correspondenti; hæc verò, cum scriberet D. Lange nondum erant evoluta. Dies diem docet. An semper posteriores cogitationes sint meliores, dies docebit.

(d) Sanè bovis admiranda non hos solum Philosophos ac Microscopiorum fabros, sed & Philosophos omnes per omnem vitam satis occupabunt, æquè ac apum œconomia singularis.

(e) Hoc parum ad rem facit juxta prima Authoris principia, sive dentur talia minuta animalcula, sive non dentur, semper enim erunt corporea, & consequenter à spiritu non mobilia, juxta placita Modernorum, imo nec dirigibilia ab ipâs (sit venia verbo) quia directionem non admittunt, nec sine actione in corpus illi locum dant.

mus inter hæc parvula invisibiliaque insecta ac corpus humanum , judice-
mus nullam ejus partem esse (f) per quam & in quam penetrare non pos-
sint , cumque insuper , quantumvis illa exigua sint , possimus concipere eo-
rum organa , visceraque æquè (g) perfecta ac aliorum viscera animalium
organaque , spiritusque animales , qui ea actuent pari modo ; inde ansam
(h) capit D. Lange faciendi ex his insectis instrumenta Spirituum maligno-
rum per omnem aeris ambitum (i) dispermorum.

Subsistamus hic paulisper (ita C. M. T.) dicamusque , quod præcautiones
Mèdici hujus doctissimi , ipsius Systema involvant difficultatibus , quas potuif-
set (k) facilimè evitare . Cur enim tam confidenter negat , posse Spiritum

C 2

move

(f) Jam supra de hoc dubitavimus , nec credimus facile , per corporis poros pos-
se ingredi animalcula , et si alia cum alimentis via ipsis pateat , adeò , ut possint ingredi abs-
que consilio spirituum , neque hæc indigeant peculiari assistente intelligentia.

(g) Æquè perfecta in suo genere , nemo diffitebitur , non comparatè cum anima-
libus majoribus , habentibus dubio procul apparatum majorem viscerum & organorum.

(h) Hoc est arripere ansam non oblatam , quid enim his omnibus mirabilibus in-
sectorum cum dæmoniacis prodigiis ? quo aptiora ad actiones suas , & artificiosiora sunt
hæc animalcula , eo minus possunt fieri instrumenta dæmonum , cum se ipsa possint regere ,
nec intelligentia tali indigeant . Nec dieas , ipsa non indigere dæmonibus , sed dæmones
indigere ipsorum ope , & iis uti tanquam instrumentis ; nihil enim hoc ipso invento lu-
cratur Dominus Lange ; ponamus insecta ejus fictitia cum dæmonibus suis ingredi in cor-
pora humana per vias etiam angustissimas , & poros duostulosque minimos , non ideo sa-
nè penetrabunt eadē via corpora majora , nec insecta hæc vel arripere possunt acus ,
nec deducere eas per eosdem poros & angustias ; non possunt arripere acus , quia inse-
ctulum tale non habet robur sufficiens proprium , & ex hypothesi dæmon vim moventem
nullam ipsi dare potest , ergo miser illè dæmon cum acu sua non potietur scopo suo ,
eam ne quidem tollere in altum valebit per hanc suam machinulam invisibilem animalem
& instrumentalem , & si etiam posset acum usque ad poros & ductus augustos corporis
deferre , cogeretur ibi acus dimittere , posset enim ingredi , si omnia concederemus ,
cum sua machinula animata & obsessa , sed non posset ingredi cum acu , quæ necessario
foris maneret exclusa , nec posset introduci in corpus nec à dæmons , nec ab insecto ,
nec ab utrisque junctis , dæmon enim acum non potest facere minorem aut ad insecta
sui parvitatem redigere , nec potest movere materiam & in eam agere ex hypothesi D. L. Si
scivisset D. Lange hypothesin recentiorem statuentem , omnem Spiritum finitum semper in-
colere corpus aliquod proprium , nec unquam eo carere , forsan maluisset huic subscri-
bere , quæ insecta hæc invisibilia , & fere etiam incogitabilia conducere ad hunc sco-
pum , dæmonibusque adjungere , qui si habeant propria corpora , insectis non indigeant
aereis , neque hæc vilia dæmonum fecisset instrumenta , quorum vim adeo statuit limi-
tatem ; hanc verò curam D. Lange relinquimus .

(i) Spiritus propriè loquendo non possunt dici per aerem dispersi , quia non sunt
in loco , non sunt extensi , scriptura dicit aptiore termino eos aeri dominari , & tene-
bris mundi hujus ; in verbis vero simus faciles .

(k) Potuisset has evitare juxta sequentia , sed eo ipso aliis se se involvisset difficul-
tatibus ,

movere corpus in quiete constitutum , quid impedit (1) quò minus quantitas motus in hoc universo vel augeatur vel minuatur ? quanam (m) demonstratione , vel probatione nititur hæc constantia æqualitatis motûs supposita ? Quanam ea necessitate stabilita est ? Novi equidem , nullum corpus posse se ipsum movere , sed movendum esse ab (n) ente alio , qua autem ratione probabitur virtutem moventem , quam habent Spiritus , ultius (o) non extendi , quam ad motum jam inceptum aliter determinandum,

satibus , adeò iis omnia hic sunt obsita , omnia intricata & obscura in summo gradu , si queras de modo , quo siant talia prodigia , etiamsi res ipsa indubia sit & in propositulo . Cur verò tot se difficultatibus involvunt inquieti mortales , cur non malunt in nimium occultis ad τὸ ἐπέχειν configere ? cur non æquà mente ignoramus , quæ latere nos voluit Magister Optimus ? Implicamur laqueis fallacibus ac periculis , saltē ne aliquid videamur ignorare ; hæc mentis nostræ naturaliter perversæ arrogantia est , ut , licet diffiteri non ausit se imparem esse rebus sèpè gravissimis , earumque causis eruendis , præferat tamen doctum , at inane vaniloquium ingenuæ ignorantiae tam latè se diffundentis confessioni . Intellectus noster judicet de rebus æstimationi suæ vi quantitatis ac proportionum subjectis , judicet de nexus Idearum , ac propositionum , abstineat verò à rebus sphæram suam viresque excedentibus , maneat in modestia debita aureaque prorsus lumen ejus debile , nec se ultra modum efferat ; cedat cum primis revelationi , nec se normam jactet veritatum , nec possibilium ambitum sua metiatur comprehensione , nec scientiæ suæ audeat commensurare veritatem ; nihil neget ideo , quod modum ejus ac rationem profunde ignoret , maneat suæ conscius limitationis ac debilitatis , quæ non audebit negare , quod non potest comprehendere ; videt enim , si sapiat , toties sibi hæc rere aquam in rebus etiam materialibus .

(1) Hoc merito queritur à Viris ingeniosis , neque enim unquam hoc principium suum probavit solidè satis vel Cartesius , vel tota ejus multiformis Schola ac soboles ; Imò Hugenius , Mariotte , Leibnitius probarunt apertè contrarium , identitatem virium substituentes ; quæ an probetur Celeb. Diarii Authoribus nos quidem later.

(m) Etiam hanc quæstionem Virorum Celeberrimorum approbant Moderni illi , virium identitatem substituentes , agnoscuntque nullam demonstrationem suppetere pro eadem motus quantitatè conservanda . Etsi nuper D. de Louville ipsorum voluerit turbare circulos ; quo successu , atque an solidius id evictum dederit , quām olim variantem Eclipticæ obliquitatem , ipsi judicabunt .

(n) Alii ex Modernis dicent , non ab Ente alio (si sumnum Ens excipias) sed ab alio corpore corpus debere moveri ; nec placet illis , quod Ill. Turneminus supponat , animam agere in corpus , corpus verò non agere in animam . Quas tamen subtilitates heic vel supremis tetigisse digitis sufficiat . Medici de remotis his motuum causis solliciti non sunt ; quānī benè nobiscum ageretur , si saltē proximas semper causas motuum in corpore p. n. obviorum sine errore notabili assequeremur , quod quidem & scientiam haud levem & experientiam requirit longo , multoque rerum usu , non speculationibus vacuis , firmatam .

(o) Quos modo allegavimus legum motûs scrutatores etiam hanc motûs directiō nem murandi vim Spiritibus abjudicant eādem vi suarum , quas laudant , demonstrationum .

dum , quodque Deus ipsis non concesserit potestatem movendi corpora in quiete existentia ? Novi quoque (pergunt C. M. T.) Deum limitasse potentiam malignorum Spirituum , ut non possint nobis nocere ultra id , quod permiserit Deus , quonam verò argumento constat , quod non possint , nisi se uniant cum insectis (p) agere in liquores corporis nostri , inque ejus partes solidas , inflammendo , (q) dissolvendo , condensando , acres reddendo , corruptendo humores , dislocando , constringendo , coaretando , distindendo , aliisque modis lœdendo partes solidas , eò introducendo (r) venena , ipsaque varia insecta , absque eo ut cum ipsis ineant unionem ullam ? Ista sanè omnia ipsis possibilia sunt , si quidem id permiserit Deus ; dicit verò per (s) jocum (uti omnino videtur) D. Lange se , et si referre decre-

C 3

verit

Nos istis nunc non immoramus ; istas forsan demonstrationes laudatas ab Authoribus suis evertente conabuntur , qui hæc querunt in his suis ad D. Lange placita notis , Trivultini Patres , utut nihil allegent , quod probet contarium.

(p) Si in partes solidas fluidasque corporis nostri non possint agere immediate , multo minus in eos agent per insecta ; nam , ut agant in insecta , eaque moveant , debent agere in eorum partes vel solidas , vel fluidas , vel utrasque , & si hoc possint facere , quid ni & agent in nostros succos , & in nostra organa , quæ non magis sunt materia- lia , quam horum insectorum , quantumvis minutorum , partes .

(q) Agere verò poterunt his modis in fluida non saltem immediate , sed & media eò convenientia liquoribus admiscendo , solida autem per fluida variis aggestionibus urgendo & premendo , quanquam & irritando sensiles nervorum fibrillas spalmos , doloresque omnis generis etiam sine insectis possint excitare , si enim possint mutare motus insectorum , cur non facilius motus spirituum insectis subtiliorum , & facilius mobilium ac obsecundantium . Quid verò regerent Viri Clarissimi illis , qui dæmonibus propria tribuunt corpora ? An Ecclesiæ , Ordinisque statuta hoc admittent ? Nova ad minimum haud facile locum apud illos inveniunt , et si magni faciant acumen Leibnitianum .

(r) Quomodo verò introducent vel insecta , vel venena in corpus , si movere ea non possint , venena non habent vim sese ipsa movendi ; Verum Viri ingeniosi hæc contra D. Lange admittunt , sed de modo altum est silentium , quomodo spiritus introducunt hæc insecta , quomodo apprehendunt ea , quomodo agunt in materiam , non sanè cogitando , cogitatio enim ne pulvisculum quidem moveat sine medio , & verò spiritus dicuntur non agere nisi cogitando . Si corpora dæmonibus velint concedere Viri Eruditæ , facile viam invenient . Nolumus verò hanc ipsis tribuere sententiam ; qui fatemur hic circa modum hunc agendi ignorantiam nostram ; de effectibus tristissimis certi , circa modum recurrentes ad τὸ ἐπέχειν , ad τὸ θεῖον Medicis haud raro solenne , ac prorsus necessarium , licetumque in hac luminis nostri debilitate atque insufficientia .

(s) Nihil magis serium est quam principis , aeri dominantis & infidelibus triste imperium & potestas in homines plerosque non satis deploranda , absint hinc procul joci , de ipsis ingenii acumine tristia indies literatorum æquè ac aliorum fata loquuntur , cum plerorumque mentes ita teneat illaqueatas , ut stupidorum instar brutorum sequantur ejus dictamina , ipsique serviant tanquam mancipia fidelissima , cum videantur sibi fa-

piem-

verit facta Principis in aere regnantis , eum tamen tanti non facere , nec pro heroe , sibi singulariter æstimando , habere , cum non nisi exiguum habeat de ipsius ingenii acumine ideam ac præsumptionem , cum Deus ipsi non nisi parcam luminis & ingenii mensuram reliquerit. Exilisque hæc Authoris de dæmone (t) opinio eò usque progreditur , ut cum Helmontio persuasus sit , eum minus sagis suis esse ingeniosum , ipsarumque quendam quasi discipulum , qui illudere non possit nisi rusticis , metuatque sibi ab hominibus ingenio pollutibus ac judicii penetratione.

Nec video tamen (ait C. M. T.) quid cogere nos queat , ut statuamus , dæmonem lapsu suo perdidisse lumen suum ingeniumque (u) naturale. Apostolus (x) Paulus , Sancti Patres , aliam nobis rei istius offerunt ideam , quam quidem eam , quam ex Helmontio hausit D. Lange ; cæterum difficultates quodammodo extraneæ sunt (y) Systemati D. Lange circa maleficia , possuntque inde separari , quo ipso illud haud (z) parum fiet solidius. Audiamus eum ipsum explicantem maximam partem Symptomatum morbi Magdalenaæ Morinæ , absque ista dæmonum cum insectis unione.

Si erucarum tantum generationem in ægro hoc corpore , eorumque inde excretionem suscepissimus explicandam , id quidem (a) præstitu esset facile

pientissimi & dæmone prudentia longè superiores , exitiali errore ac cœcitate mentem ipsorum obnubilante ; & quis quæso credat , Deum illi parvam dedisse ingenii mensuram , cuius methodias tanta cum cura suadet , ut evitemus , suamque nobis ad id offert opem.

(t) Non opinione res agitur , cum sermo est de hoste tam formidando , cui non nisi divina resistere Panoplia valeat , faciat ex sagarum magistro discipulum , ipsis ingenio inferiorem , solis rusticis illudentem Helmontius & cum eo D. Lange , tristis experientia docet contrarium , quamque ille non metuat acutos & ingeniosos homunciones.

(u) Adeo nihil oīnos adigit , ut revelatio potius contrarium aperte doceat , & qui possit spiritui tam antiquo deesse judicium , tanta tamque perpetua experientia confirmatum.

(x) Scilicet hunc Spiritum astutissimum , & maximè iis formidabilem , qui fide ac luce divina haud gaudeant , agnoscent ii omnes , qui corruptionem hominis summam agnoscentes , eum ab hoc spiritu & olim seductum fuisse , cum infinites esset sapientior , & nunc miserrimè seduci in desipientia sua naturali non possunt non agnoscere.

(y) Sanè difficultates intrinsecæ omnino sunt Systemati D. Lange , qui nec cum possessis à Dæmone insectis , nec sine illis satisfecerit iis , qui qualicunque verisimilitudinis umbra contenti non sunt.

(z) Docebunt sequentia , an fiat solidius , exhaustatque difficultates præcipuas circa abstrusissimum hunc morbum & prorsus intricatum quæ originem suam.

(a) Nobis equidem res ista tam facilis haud videtur ; nec naturalis mechanismus hic eas ferre suppetias , intellectui veritatis avido , potest , quas quidem desideraret.

facile per naturalem mechanismum ; (b) supponi enim sine difficultate potest virginem hanc fructus quosdam devorasse aut legumina (queis solis per tempus sat longum pasta fuit) numerosa ovulorum quasi invisibilium, ex quibus ista prodierunt insecta, caterva conspurcata , istaque ovula in ipsius ventriculo (c) obvoluta fuerunt abundantissima cruditatum viscidiiorum massa ac pasta ; in qua tanquam conveniente sibi matrice , tuta ab acribus (d) spiculis menstrui ventriculi , quæ quidem spicula in (e) ista, qua laborabat virgo hæc inappetentia, jam satis languida fuerunt in se & minus efficacia , fota commodè, atque exclusa sunt hujus partis calore , ac mediantibus fructibus , herbis , & aqua , quæ sola virginis fuerunt alimenta, insectorumque simul ordinaria nutrimenta ac (f) cibi , illud attigere magnitudinis incrementum, in quo excreta conspectaque fuerunt ; adeoque hic effectus , etsi valde singularis , posset tamen (g) non incommode à naturalibus plane principiis deduci atque explicari.

Neque verò eadem (h) acicularum acuumque ratio est , hæc enim talia corpora non sunt , quæ vel formari in corpore humano , vel nutriti queant.

(b) Supponi potest facilius quam probari , virginem hanc fructus devorasse conspurcata ovulis minimis erucarum , è quibus istæ dein exclusæ sint in corpore illius ; hæc dicuntur facilius quam vel probantur vel fiunt ; ad minimum alimenta congrua erucæ in corpore nostro vix inveniant , & si aliquando erucæ quedam suis ex ovis excludantur in homine , vix tamen hinc deduxeris lacertam , & in exemplis supra memoratis bufoes , scarabœos , ranas , & quid non ?

(c) In hac obvolutione nulla forsitan esset difficultas , sed motus quoque ventriculi peristalticus imo & tritorius alimentorum obstare videtur ; etsi nolimus omnem exclusiōnem ovulorum peregrinorum in corpore nostro negare , tam varia tamen & numerosa sine magiæ concursu inde excerni haud credimus.

(d) Spicula ventriculi tam acria acutaque non sunt , ut sibi ab illis debeant meas tuere hæc ovula excludenda , si aliud nihil obstaret.

(e) Virgo hæc non laborabat inappetentia , sed pica , satis appetebat fructus suos , sed non cibos alios & meliores , ac convenientiores , qui status in chloroticis est frequentissimus ; & possunt cum tali inappetentia confundere spicula acida , acriaque in primis viis satis fortia & acuta.

(f) Sunt equidem hi illorum cibi , sed & virginibus pica laborantibus valde gratiæ familiares.

(g) Nisi & alia inexplicabilia hac methodo juncta fuissent Symptomata , & excreta , quorum singularitas longè adhuc major ac portentosior , hanc quoque erucarum excretionem reddit suspectam , & ad eam videtur illam classem redigere , ad quam pertinent memoratae supra historiæ , ad morbos nempe magicos , vi malorum spirituum hominibus illatos ; etiù forsitan aliás erucæ excludi in corpore aliquando potuerint.

(h) Hic vero non licet aliter quam verum fateri , aciculæ enim ex seminiò excludi in venriculo non possunt.

queant. Si enim (i) supponeremus plurima corpuscula metallica occultata ac latentia in alimentis potuisse inter se uniri intra corpus humanum per varias, quæ ibi contingunt, fermentationes, & præcipitationes, ea sanè non possent ad summum producere aliud, quam massulas quasdam metallicas parvulas informes, hic verò aderant veræ aciculæ atque acus artificis manu formatæ atque acutæ redditæ, quæ extractæ sunt tanto numero, quorum, teste autopsia abscissa sunt capita seu, globuli, ubi manifesta adhuc oculis intuentium sunt (k) forficis abscidentis vestigia, quarum aliquæ ad curvitatem istam redactæ conspiciuntur per (l) violentiam ipsis abscissione illa factam, quæque majorem (m) longè ipsi intulere dolorem cum extraherentur quam reliquæ, igitur in explicatione horum phœnomenorum necessariò recurrendum est ad artificialē (n) mechanismum. Videamus igitur quid adscribi queat homini, quid tribuere diabolo cogamur.

Certum atque extra omne dubium positum est, aciculas fuisse in corpus hujus (o) Virginis introductas, quia ibi generari non potuerunt, æquè certum (p) indubitatumque est eas non potuisse intrudi in omnibus istis

(i) Supponerent sanè Viri ingeniosi rem omni verisimilitudine destitutam, quis enim ventriculi, viscerumve calor est, qui posset fundere metalli particulas minutæ? de acciūm formatione ipsis prorsus dubitant, nos verò etiam de massularum quarumcunque metallicarum hac via formatione; acuti verò cuspides, abscissionis capitum vestigia manifesta, nimis manifestè evincunt fascini concursum, ut fictitii mechanismi omnis species evanescat.

(k) Forficis abscidentis vestigia apparent in aciculis, indicio nimis manifesto eas ab extra fuisse introductas, non in corpore formatas.

(l) Hæc violentia ad incurvationem usque in abscissione adhibita aperte docet concurrisse cum dæmone astutiam & malitiam diabolicam hominis dæmoni aciculas forficæ ita præparantis, cum non potuerit cum globulis eas introducere tam commodè; dico tam commodè, quia supra exemplum recensuimus talis quoque capitis & noduli effecti, adeoque prius injecti, via ac ratione quacunque.

(m) Non potuere enim via adeo recta progredi ac propelli, unde nervorum fibrillas gravius lacescebant transitu suo longè acerbiori, quam rectæ aciculæ.

(n) Hic artificialis mechanismus intelligitur & dæmonis & hominis, arte enim ad hæc opus est, quam nec optimi inter nos artifices satis capiunt.

(o) Hoc quia certum est, æquè certum erit fascinum, nisi nova succurrat mechanica, ubi aqua hæserit Philosophis.

(p) Hoc mihi non æquè certum indubitatumque est, mallem enim credere in locis istis fuisse intrusa ab artifice tali extraordinario, quam incredibili plane commento eas per vasorum lacteorum, & tot vasculorum aliorum angustias & mœandros deducere ad corporis superficiem, quod fabulam nimis aperte sapit; nec dicas non potuisse sine dolore summo & læsione introrsum adigi, cum nullum in egressu vasculum læserint, cum miles supra memoratus, aciculas per genas suas adigat sine dolore artificio singulari eas per-

istis singularibus locis ex quibus postea fuerunt exsectæ ; observationes exactæ institutæ per integras duas septimanas suspicione tali locum relinquunt (q) nullum ; fatendum equidem est , dari homines adeò solertes , ut sciant methodum acus immittendi in tibias , brachia , aliasque partes musculosas , idque sine (r) dolore , cogendò eas intrare exactè inter musculos , sed ingens est differentia inter leves istos lusus , eaque quæ in virgine hac observantur , ubi digiti tangentes percipiunt intra profunda carnium aciculas supra (s) periostium quasi , sentiunturque (t) quotidiè ad sensum magis magisque per ipsam muscularum substantiam , perque partes mammarum glandulosas transire , semperque præcedentem tangentem exhibere digito (u) cuspidem . Cæterum nauseæ , cruentique vomitus ac febris , semper præcedentes acicularum apparitiones , magna quam per vomitum rejecit earum quantitas , ac dolorificæ lancingiones , quas subinde inventriculo percepit , argumenta (x) sunt certissima , quod coacta fuerit illas prius deglutire .

D

Nec

, perterebrando , & celeriter quidem ; quis vero dæmonem hoc milite minus existimet agilem , promtumque , ac versutum ?

(q) Bonæ istæ Nosodochii sorores , & quicquid fuit custodum , potuere quidem observare , an ullæ ab hominibus fiant studes , fraudes verò demonum ac stratagemata Satanæ eludere vel detegere non valuerunt ; quid obstat hæc nocti , & invisibili modo fuisse gesta ; spiritum operantem quis videat , vel impedit ? Si dolorum sensum objicias fuisse nullum , militem illum , & P. Lanx artificium ab ipso testatum , ac supra tactum regerimus .

(r) Id ipsum nunc hic fatentur Viri Eruditæ , sine dolore posse adigi in musculos aciculas solertia humana , cur igitur negabunt dæmoni , (cujus vim agnoscunt in ipso hoc casu) quod concedunt homini , minus ipsis etiam fatentibus solerti .

(s) Tactus non potest tam exactè docere , aciculas esse supra periostium , hæc gratis supponuntur , ad augendam difficultatem , re ipsa verò carent omni probabilitate , sufficit dæmonem non esse minus solerter homine , & Viros Clar. agnoscere hanc ejus vim contra D. Lange , et si alio modo eum malint concurrere quam modo dicto .

(t) Cum quotidiè altius assurgunt , eo ipso tardissimè ascenderunt , & quidem eò minori sensu , cum dicti homines agiles & solertes , cito satis perforare soleant musculos , quantò minus autem dolebunt à transitu aciculæ tardissimo , & fibras vix afficiente .

(u) Ipsa hæc perpetua cuspidis præcedentia satis ostendit directionem ab intelligentia seu spiritu solerti factam , cur enim ex tot acubus ne una quidem aliter prodiit ? quia à solerti spiritu omnes ita fuere infixæ , ut fibræ se stringentes naturali ordine facilius sensim sensimque propulerint acutam cuspidem potius , quam obtusorem caudam ; hinc & capita acicularum fuere antea absissa , quia istæ clanculum erant introducendæ ; alia res erat in historia supra allegata , ubi acicula , cui globulus ex cera hispanica adhæserat , prodiit ex urethra , quo cum capite facilius potuit introduci quam intra cutem & musculos , ubi obstitisset capitulum seu globulus .

(x) Probè hæc distinguenda sunt , pars acuum omnino fuit in ventriculum ingesta ,
pars

Nec difficile comprehensu est aut conceptu , quod eo tempore , quo ictus passa est dictos , qui eam ita prostraverant ut , animo linquetur (y) cogi potuerit ad deglutiendum unum alterumque fasciculum acuum & acicularum , aut inclusas parvis capsulis , aut compendiosis involucris , cum ictus , quos capite excepit , expresserint copiam materiae pituitosae , quam ordinariè deglutimus , non advertentes , & , quod ajunt , machinaliter in istiusmodi casibus , inque affectibus convulsivis ac soporosis , qui comitantur plerumque commotiones graviores cerebri ; hi parvi fasciculi ori ejus intrusi potuerunt facile ope istarum humiditatum ac deglutitionis illius spasmodicæ ac machinalis descendere in ventriculum , absque virginis illius cognitione evidenti . Ipse vidi (pergit C. M. T.) hominem quandam in paroxysmo epileptico deglutire subito unoque nisu forficem plusquam duorum digitorum latitudinem circa annulos suos habentem , quæ dentibus ab uxore fuerat inserta , quamque cum excrementis post novem dies reddidit , refertque *Helmontius in Cap. d. injectis materialibus* se vidisse Antwerpiaæ ann. 1622. parvam puellam evomentem duo acicularum millia , involucro cuidam inserta una cum pilis aliisque sordibus . Hæc talia involucra sensim ac sensim consumuntur insensibiliter per salivalem ventriculi succum , sensimque dimittunt aciculas quas continebant , quæ cum chylo (z) abreptæ sunt in intestina , in vasa lactea , per receptaculum chyli in ductum thoracicum , ex hoc in venam axillarem , indeque sequi potuerunt

pars in musculos artificiosè intrusa , hæc sepe mutuo non impediunt , utrumque verum videtur ac evidens in hoc casu .

(y) De his nihil crediderim , si vera sint , quæ supra memorantur de ictibus baculo factis , an enim in baculo fuere involucra aciculis referta ; nec tam machinaliter deglutiunt homines tanta acuum involucra , & nulla est consequentia ab homine epileptico deglutiente forficem ad hanc virginem inter verbena non convulsam , sed opem sororis implorantem , neque eadem ratio est hominum convulsum , & soporosis affectibus decubantium , hi enim vix deglutiunt forfices , uti illi ; deliquum enim passa est post vociferationem , & soror statim accurrit , non ergo ori illius tanta involucra potuere ingeri , illave cogi ad ea deglutienda ; hæc conjecturæ sunt nimis audaces . Exemplum vero Antwerpensis puellæ nihil huc facit , quam confirmando fascini certitudinem ac magiaæ evidentiam , tantum enim involucrum puellæ parvulae non potuit cum acubus bis mille ab homine obrudi deglutiendum , bené tamen à dæmone , ejus per gulam descensum sine suffocatione juvante , quod hominum nemo facile potuisset efficere .

(z) Cum hanc recogito viam ejusque anfractus , non possum non confirmari in opinione mea , nec enim possum imaginatione mea sequi tot acus & aciculas per teneriorum vasorum lacteorum tenues mœandros , ad extimas usque vasorum ramifications , quisquis novit structuram & gyros vasorum machinæ humanæ , hæc non crederet .

runt cursum sanguinis per cor & majora corporis vasa usque ad minimas eorundem ramificationes.

Quanquam autem non (a) absolutè impossibile sit, ista solo Mechanismo naturali ita contigisse, conceptu tamen admodum difficile fuerit, tantam acicularum copiam solo casu quodam fortuito jam exacte cuspides (b) suas applicuisse atque insinuasse in vasa lactea eorumque oscula, secutasque fuisse illas cursum humorum absque eò, quod in transversum actæ, situm in amplioribus locis mutassent, quod quidem si uni alterive forte contigisset res exemplo non careret, tanto autem in numero minimè. Reperta (c) est in vena brachii hominis ejusdam acicula, quam prius deglutiérat, pluresque per urinam ejeclæ sunt, perque varias corporis partes ac abscessus.

Sed postquam in Magdalena Morina aciculæ istæ pervenerunt usque ad minimas arteriarum divisiones, quæ non solum ob exilitatem ad earum massam proportionem habent nullam, quæque adhuc cum urinariis vasculis, queis junguntur, faciunt mille anfractus ac circuitus, id quidem phycè impossibile erit, quod exire ex iis queant sine ruptura vasculi, & sine effusione croris contenti in partes ac interstitia vicina, sine ruptura fibrilarum membranæ arteriam constituentis, quæ sunt totidem parvi tubuli succis repleti, & si quidem inde fuissent egressæ, (d) inveniissent in via

D 2

magnam

(a) Imò verò absolutè impossibile crediderim solo mechanismo, sine concursu dæmonis hæc omni contigisse, adeo non ausim tantum tribuere mechanismo soli, sub quo vocabulo imperitæ sèpe & audaculæ Physicorum conjecturæ latent, ut speciem quandam probabilitatis nanciscantur, jactant subinde mechanismum, qui ignorant, quid verè sit mechanismus.

(b) Jam rem, qualis in se est, agnoscunt, ac pronunciant Viri Oculatissimi, vident illos vasorum mœandros, unde validissimam agnoscimus propriam ipsorum objectiōnem.

(c) Hæc videntur novam rei probabilitatem conciliare, & sunt omnino obscura, intricata, & explicatu difficultia, facilius verò fügit uni aciculæ talem reperire viam, quam istis agminibus acicularum; & quis novit, an illa præcisè acicula è brachio fuerit educta, quam deglutiérat æger; quam supra recensuimus exfectam ex brachio magnam acum sanè æger non deglutiérat; ceterum per abscessus facilis talia egeruntur & explicantur; ac ex ventriculo ad vesicam forte via dabitur brevior corpori acuto, & inter fibras protrudendo lentiori motu haud adeo difficulter, et si forsitan rarius, nec talia quotidie contingunt.

(d) Hæc omnes difficultates sunt insuperabiles, & clarissimè evincunt, dæmones hanc tragediam scenamque instruxisse per fœminam illam ipsis dubio procul dicatam, devotamque; nihil enim horum omnium contigit, nullæ tales molestiæ obortæ sunt, nullæ humorum effusiones; sed & hæc confirmant ea quæ diximus de introductis per cutem

magnam nervorum copiam , membranas , novosque alios canales , quos non possent non perrumpere , quod facere nequirent sine nova humorum effusione , constrictioneque spasmodica fibrillarum nervearum lœsarum , unde stases sanguinis in parte , indeque oriundæ inflammations abscessusque inevitabiles . Nihil tamen horum omnium hic accidit .

D. Lange (e) confudit ad Spiritus in aere hospitantes , quos credit rexisse aciculas in viis adeò periculosis . Neque equidem existimo explicari posse per mechanismum naturalem tam exilem vel nullam lœsionem enatam ex transitu harum acicularum , adeò aptarum ad excitandas longè maiores in minimis divisionibus & anfractibus venarum atque arteriarum , concedam ipsi lubens , agnoscendum in his artificialem quendam mechanismum , id tamen haud crediderim , dæmonem fuisse coactum , ut se transmutaverit in insectum aut illi se univerit ad deducendas per tantas angustias sine noxa aciculas ; ipsius voluntas , permissioque Dei abunde sufficiebant pro explicandis efficiendisque iis omnibus circumstantiis , quæ quam maximè in omni hac historia videntur mirabiles ac portentosæ .

EPILO-

etutem & carnem aciculis , lenta enim illa , solertique introductione , & lentissima expulsione factum est , ut nulla rumperentur vascula , nulli stagnarent humores , nullæ sanguinis stillæ effunderentur , cuspide lentissimo motu fibrillas à se invicem dividente & per interstitia sine ruptione vasculorum transeunte .

(e) Minus certum sane refugium , rectores isti acicularum in vias adeò periculosas eas nec deducere poterant nec regere , etiam ex propriis D. Lange principiis , immedia-
tè enim acus movere non poterant Spiritus , per insecta pariter fieri id non potuit , quia illa sunt longè minora & imbecilliiora ex hypothesi , quam ut sufficerent ad acus gestandas , urgendas , adigendas , regendas &c. si dicas , dæmonem ipsarum vim augere , jam concedes dæmonem esse principium motus ipsarum , quod negat Dominus Lange ; ergo nec insecta illa , nec per ea dæmon potuit regere aciculas in via adeò anfractuo-
sa ; sed suffecit isti negotio , uti recte judicant Viri judicosisissimi , dæmon sine insectis turbas istas , miseriasque mortalibus inferens . Non disputamus autem hic quid Doctissimi Collectores Diarii sibi velint effato illo generali , sufficere voluntatem Dæmonis ; cum enim id vix voluerint dicere , Dæmonis corpus vi voluntatis illius talia efficere , quippe qui corpora Spiritibus istis haud assignant , aliam forte conceperunt viam , aliudque medium voluntatem istam in actum deducens . Nos vero supra jam monuimus , spe-
ciales istas modorum agendi explications Philosophis esse relinquendas , ac Curiosis , cum Mèdica Experientia facta istiusmodi insolita in clara veritatis ac irrefragabili luce po-
suerit , nec quidquam ad feliciorem ægrorum sanationem conferat , sive scias illum no-
cendi modum præcisum , sive eum ignoreas ; modo discernas solicite vera à falsis , evi-
dencia ab apparentibus , maneasque à præjudiciis liber , quæ cum non exuerent Erudi-
ti , in negotio tam gravi tam frequenter , tamque enormiter impegerunt .

EPILOGUS.

Diximus Historiae Nostræ ac scopo congrua ; nec licet vastissimam de Magia tractationem unica dissertatione complecti. Contemptum nobis attrahemus sublimium Ingeniorum , qui ægrè ferent, postliminio reduci in scenam Magicos morbos , dudum auspice Beckero explosos. Nihil vero possumus contra veritatem , sed pro veritate ; convicti plurimis irrefragabilibus exemplis , quibuscum incerta , falsaque hæc confundimus. Ac miramur Viros veritatis amore ductos ob errores numerosos , fraudesque passim observatas , omnibus exemplis fidem adimere , ac negare autopsiæ certitudinem malle , quam rejectam semel admittere hypothesin (quis vero unquam negavit dari veros Eruditos , quod plurimi hoc nomen indignè gerant ?) Sed & ipsa negantium diversitas affirmanti sententiæ conciliat robur ; pauci omnem Magiam , atque omne fascinum pravo Spiritui debitum negant ; plures ista in thesi admittunt , in specialibus vero casibus nunquam non omnia alia accusant , ac credulitatem aliorum rident. Alii frequens admittunt fascinum in morbis , sed Dæmoni nunquam adscribendum , soliusque phantasie fortis truculentum effectum ; his mumiæales , his astrales influxus magis videntur probabiles , quam vires demonum ; hi omnisciam faciunt animam , Divinæ , sic poetæ verbo abutuntur , particulam Auræ. Si qui dicant , vomitu , aliave viâ rejecta , non fuisse prius in corpore , sed tum à genio malo phantasie illudenti substitui , hi sane fatentur dæmonem agere , sive jam agat tanquam præstigiator , sive modo quoconque , aget tamen. Cuicunque accedas classi , hæres in luto incertitudinum ; nec quicquam lucraris pro veritate ; negantes enim tam miserabiliter explicant stupenda phænomena , ut , si non risum , saltem commiserationem mereantur , adeò mirificè se torquent , ut nihil dicant , explicitve ! Tutius incedes , si quemlibet suo patiaris abundare sensu , nec velis operosè convincere animos , qui convinci nolunt ; abundet quivis suo sensu ! Genuinam experientiam sana ratio nunquam nititur evertere. Quis dubitet

ea posse fieri, quorum nos determinare modum præcisè haud valemus, cum innumera id nos naturæ phænomena doceant. Loquatur æger linguis peregrinis diu & cohærenter, prædicat futura, videat qs. remota, si omnis fraus absit, nunquam ego de altiore causa Spirituali dubitavero, et si nihil præterea adsit, quod non febri, aliive morbo videatur ordinarium. Nec sequitur: omnia symptomata possunt quodammodo explicari ex naturalibus principiis, ergo omnis Magia suspicio abest; veribus excretis cessavit malum, ergo dæmon non concurrerat! posse & ista combinari, morbumque hinc exaltari vix dubitabit, qui sine præjudiciis legit observationes stupendas; videtque ea, quæ frequentius geruntur passim in complicatis morbis. Quære igitur veritatem, sed evita sollicitè fraudes, & præjudicia; absit vero ut credas, te diversissimas tot capitum pineales glandulas eundem in situ, sensumque inclinatum; vana est spes ista; vel sola id docere queant circa tetram Annæbergensium Tragædiam obortæ lites. Ceterum cum monita hæc junioribus scribamus Medicis, illi cautissime semper incident, ni velint impingere; & si vel deprehendant suspecta sibi phænomena, nunquam tamen opiniones vulgi de fascino foveant, sed illis potius prudenter obnitantur, cum tot inde lites ac mala nascantur, nec morbo inde accedat celerior medela. Paucis, nec temere, nec timide etiam hic judicandum. Quæ absurdissima Modernis videntur, & omnino frequentissimis phantasæ ludibriis suspecta merito sunt redditæ, tamen non penitus debent explodi. Sic Doctiss. Crugerus in Eph. N.C. Dec. III. ann. 2. translationem corporis in dissitam regionem ope dæmonis factam exemplo manifesto extra dubium posuit. Fabulae ac somnia de spectris innumera finguntur, nec tamen vel rigidissimi Magiæ adversarii penitus audent negare existentiam spectrorum; nimis enim manifesta sunt exempla; Darmundense Gerstmanni, Medici, quodque Nobilem ab Oppen infestavit, & plurima alia nimis sunt clara. Pactum vero explicitum omne cum dæmoni negari mirum non est, cum magna mortalium pars implicita pacta ignorans ac cæca servet colatque strictissime. Merito igitur junioribus Medicis commendamus attentionem in phænomene-

nis observandis , modestiam & circumspectionem in dijudicandis ,
mentem à prejudicio omni liberam , prudentem recursum ad rō enēxer ,
& sincerum veritatis amorem .



MEnte opus est firmâ, prudentique! Arte medendi
Nil gravius! nihil hîc credula turba valet!
Ast major noxa est cum mens incredula factis
Indomita, atque audax obstrepit indubiis.
Cautelis opus est! medio tutissimus ibis!
Nec temerè in Praxi , nec timidè quid agas!

Nobiliß. D. Candidato

gratulatur

PRÆSES.



